

**Prob. 1<sup>o</sup>** Ad beatitudinem requiritur objectum quod 1) propter se appetatur, 2) appetitum plane expleat, 3) excluso omni malo, stabile ac indeficiens sit; *a.* hae conditiones in nullo bono creato sunt; *e.*

*Prob. min.* Haec bona creata aut sunt bona corporis, aut bona animi, aut bona externa fortunae, aut horum omnium congeries; *a.* singula haec carent supradictis conditionibus; *e.*

*ad min.* Bona corporis : sanitas, robur, voluptas, ab exterioribus dependent et facile mutantur; ac inferiora sunt, animalibus communia, nec satiant facultates humanas superiores; — animi : substantia (habet facultates quae exigunt perfici aliquo extrinseco), sapientia, virtus; — fortunae : opes, honores, amicitiae, potestas sunt extrinseca, nec proinde satiari intime possunt facultates internas; et important dependentiam ab aliorum bona voluntate et constantia; — omnium congeries, crescente quantitate, non mutatur essentialiter.

**Prob. 2<sup>o</sup>** Illud solum bonum potest esse objectum sufficiens beatitudinis, quod ultimam humanae naturae perfectionem affert; *a.* tale bonum nullum creatum est, sed requiritur Deus; *e.*

*Prob. min.* Naturae humanae specificae propria sunt intellectus et voluntas; *a.* horum ultima perfectio non est nisi prima et absoluta veritas, bonum illimitatum; *e.*

*ad min.* 1) Intellectus scrutans verum necessario inquit causas; *e.* sistere non potest nisi in ultima. — 2) Voluntas est tendentia respondens intellectui; *e.*

### Propositio 8.

**Objectum sufficiens beatitudinis, etiam in ordine naturali, solus Deus esse potest.**

**Stat. quaest.** 1) Ex propositione praecedente necessario requiritur fructio Dei ad beatitudinem. Quaeritur nunc utrum solus sine aliis bonis possit sufficere.

2) Pauci aliqui putant praeter Deum etiam bona sensibilia requiri ad complementum necessarium; unde et necessitatem resurrectionis concludunt.

**Prob.** Illud per se solum est objectum sufficiens beatitudinis humanae, cuius possessio ita satiari potest appetitum naturalem hominis ut hic nihil ultra concupiscat; *a.* Dei possessio hoc praestare potest; *e.*

*Prob. min.* Dupliciter fieri potest perfecta satiatio : 1) possessione objecti ita adaequati capacitati appetitus naturalis, ut nihil ultra supersit quod concupisci possit; — 2) possessione adeo perfecta objecti adaequati facultatum superiorum, ut quodvis aliud bonum inferius facile relinquatur, ejusque desiderium ultro dimittatur; — *a.* possessio Dei, quamvis non priore modo satiet, posteriore tamen hominem satiari potest; *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Eandem doctrinam alii paulo aliter explicant; v. c. 1) Bona creata non requiri ad beatitudinem quia sufficiat facultates superiores solas

satiari, sive quia ad eas ceterae facultates subordinantur, sive quia solarum facultatum superiorum satiatio est beatitudini essentialis. — Sed R. Verum, sed imperfecte explicat, nec rationem rei reddit.

2) Bona creata non requiri quia facultates inferiores satiari potest solus Deus bona inferiora supplens. — Sed R. *n. supp.* (debere eas satiari).

**Schol. 2<sup>m</sup>** Talis beatitudo non est maxima possibilis, nam ei posset accedere ut complementum bonum creatum, etiam sensibile; at vera haec est beatitudo, nam plene satiata anima, licet hoc bonum possit cupere, potest tamen facile ab eo cupiendo abstinere.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Ut Deus objectum beatitudinis esse posset, requireretur proportio inter humanam naturam et Deum; *a.* nulla est; *e.* — R. *d. maj.* proportio entitatis, *n.*; habitudinis et finalis relationis, *c.*; — *c. d. min.*

*Instant.* Proportio habitudinis requirit proportionem entitatis; *nam* : habitudo facultatis ad objectum est intrinseca sua aptitudo id attingendi actibus propriis; *a.* hanc aptitudinem habet facultas ex natura sua, i. e. ex entitate subjecti cuius est; *e.* — R. *n. assert.* — *ad prob. d. maj.* habitudo ad objectum proprium, per speciem propriam attingendum, vel adaequate possidendum, *c.*; secus, *sd.* attingendi actibus propriis, i. e. proportionatis naturae agentis, *c.*; proportionatis entitati objecti, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Deus infinitus mentis humanae captum excedit; *e.* — R. *d. ant.* excedit ita ut adaequate possideri nequeat, *c.*; ut extra ambitum facultatum humanarum sit, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Deus incorporeus satiari nequit facultatem sentiendi; *e.* non omnes facultatum inclinationes naturales. — R. 1) *d. ant.* satiari formaliter, *c.*; virtualiter et eminenter (cfr. argum. supra), *n.* — R. 2) *n. supp.* (Dei fructificationem beatificam esse in hac vita obtinendam; probabitur infra eam in vita futura esse exspectandam, ubi anima separata a corpore facultates sensitivas non formaliter sed radicaliter tantum retinet).

**Objic. 4<sup>o</sup>** Deus ab hominibus plurimis ut finis ultimus naturalis : a) nec agnoscitur, b) neque appetitur (sed potius bona finita); *e.* — R. *ad a)* non agnoscitur : *d.* explicite, *c.*; nec implicite, *n.* — *ad b)* non appetitur : *d.* appetitu actuali saepe non appetitur, *c.*; interpretativo, *n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Praemiandus est qui virtutem exercuit; *a.* non sola anima hoc praestitit, sed etiam facultates sensitivae; *e.* — R. *d. maj.* praemiandum est subiectum, *c.*; etiam singulae facultates quibus, *n.*

*Instant.* Homo naturaliter cupit etiam bonum sensibile; *e.* ad illud ordinatur. — R. *d. ant.* quamdiu Deum non perfecte possidet, *c.*; Deo possesso, *sd.* potest appetere sensibilia, *c.*; ita debet appetere ut non facile eas negligat, *n.*

**Objic. 7<sup>o</sup>** Deus non respondet appetitui sensibili; *e.* non est objectum adaequatum appetitus naturalis humani. — R. *c. ant.* — *d. cons.* non adaequatum, i. e. non singulas facultates satians tanquam objectum formale, *c.*; non sufficienter satians superiores, ut negligantur inferiores, *n.*

**Objic. 8°** Si Deus esset objectum beatitudinis, deberet esse divisibilis; — *nam* : non omnes qui beantur, eodem gradu beantur; *a.* ita Deus possidetur per diversos gradus; *e.* — R. *n. assert.* — *ad prob. c. maj.* — *d. min.* per gradus ex parte potentiae, *c*; ex parte objecti possidendi, *n.*

**Objic. 9°** Per hanc doctrinam ipse ordo essentialis rerum pervertitur; — *nam* eo ipso quod assignatur Deus ut objectum beatitudinis humanae, subordinatur homini ut suo fini; *e.* — R. *n. assert.* — *ad prob. d. ant. i. e.* homo vi naturae tendit in Deum ut in objectum simul et finem suum, *c*; ut in medium ad se beandum, *n.* (et N. B. hanc ipsam naturam esse a Deo causatam).

### Propositio 9.

**Beatitudo subjectiva in relative perfecta Dei contemplatione cum pari amore consistit.**

**Notiones.** *Beatitudo subjectiva* : ipsa possessio boni perfecti.

*Pari amore*, i. e. huic contemplationi correspondente amore, seu voluntatis fruitione. — Actus ille beans, tum contemplatione intellectus, tum fruitione voluntatis, concipi debet ut actus perdurans, quies; non vero ut tendentia ad ulterius, studium vel desiderium.

*Relative perfecta*, i. e. secundum capacitatem naturae humanae qualis erit determinata in certo gradu, pro ordine morali Providentiae in quoque individuo.

**Stat. quaest.** Abstrahimus ab alia quaestione, utrum amor adsit tanquam ad beatitudinis essentiam pertinens, an solum ut ejus attributum; — quaerimus tantum quid necessario ad beatitudinem concrete pertineat et requiratur.

**Prob.** Deus est objectum hominem beans, ab eo possidendum; *a.* homo Deum beatifice possidere nequit nisi possessione vitali, seu spirituali, quae 1) in cognitione et amore consistit, et 2) quae sit relative perfectissima; *e.*

*Ad min.* Spectata Dei essentia, et natura humana, alio modo (physice, juridice,...) Deus homini beando conjungi nequit, et capacitatem ejus explere.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** In eodem illo actu contemplationis et amoris completur uterque ordo : eudaemonologicus, et deontologicus, quum in eo et formalis beatitudo hominis (finis ultimus intrinsecus), et formalis gloria Dei extrinseca (finis ultimus extrinsecus), sitae sint.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ut naturae rationali satisfiat, ita homo suam beatitudinem prosequatur necesse est, ut Deus quo beatur, simul aliquomodo, sive explicite sive implicite, ut finis ultimus, universalis et absolutus consideretur.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Implicite rectum hunc et rationabilem ordinem servare censendus est, qui ad *verum* suae beatitudinis objectum tendit, nisi mens *explicite* suam subjectivam beatitudinem *exclusive* sibi proponat.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Quid sit de *ipsa essentia* beatitudinis. — R. 1) Tres sententiae : a) *S. Thomas et Thomistae* : actus intellectus; — b) *Scotus* : actus voluntatis; — c) *S. Bonavent., Alb. M., Suar., etc* : uterque simul.

2) Videtur probabilior haec tertia sententia; nam uterque actus respicit *immediate* objectum beatitudinis; *e.* uterque potest dici proprie hujus objecti possessio; — primo tamen et principalius actus intellectus, qui est natura prior, et radix alterius actus, et quietis, etc.

**Schol. 2<sup>m</sup>** *Qualis cognitio* Dei ad beatitudinem requiratur. — R. 1) de beatitudine supernaturali, ex sola ratione nihil scimus. — 2) ad beatitudinem naturalem non requiritur cognitio intuitiva divinae essentiae in seipsa, sed cognitio Dei abstractiva ex rebus creatis, multo tamen perfectior quam in mortali hac vita obtineri solet : facilius scilicet, altior, clarior, effectibus in voluntate productis potentior; remotis impedimentis miserae nostrae vitae.

**Objic.** Visio intuitiva est magnum bonum, quod appeti potest; *e.* — R. *d. ant.* appeti rationabiliter, cum sit naturae non proportionatum, *n*; irrationabiliter, sed inefficaciter, *tr.*

### Propositio 10.

**Perfecta beatitudo, etiam naturalis, in hac vita obtineri nequit, sed solum in vita futura.**

**Notiones.** *Perfecta*, non : *inchoativa*. — Agitur de possibilitate non absoluta et ideali, sed pro rerum ordine qui nunc est.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non in hac vita*). Perfecta hominis beatitudo est in contemplatione et amore Dei, quae ejus appetitui plenam quietem afferant; *a.* in praesente vita obtineri nequit ille gradus contemplationis et amoris; *e.*

*Ad min.* 1) Quicumque fuerit in terris gradus..., semper etiam relative augibilis est, et ob instantem mortem defectibilis; *e.*

2) Quaecumque bona in hac vita possidentur, sollicitudinem et vigilantiam exigunt, sive ut augeantur sive etiam ut conserventur; *a.* haec sollicitudo et vigilantia multum ab illa contemplatione et fruitione distrahunt; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed in futura*). Repugnat hominem suam beatitudinem plane nunquam attingere posse; *a.* nequit in vita praesenti; *e.* in futura (et quidem perpetua, ne sit beatitudo defectibilis, et proinde non perfecte satians).

**Objic. 1°** Si anima nequit beata esse nisi soluta a corpore, conjunctio ejus cum corpore, naturalis (cfr. psychol.) et simul contra naturam erit (in detrimentum et moram finis); *a.* hoc est absurdum; *e.* — R. *d. maj.* naturalis, *c*; contra naturam, *n*; — *ad rat. add. d.* moram affert necessariam vi naturae *liberae*, ut sit tempus probationis (quale esset etiam si anima corpus non haberet), *c*; secus, *n.*

**Objic. 2°** Si solum post hanc vitam beati essemus, mortem naturali desiderio appeteremus! — R. *d.* si mors non esset nisi medium ad beatitudinem certam, *c*; si insuper est dolorosa et violenta disruptio naturae unius compositae, et si manet aliquod dubium beatitudinis vel damnationis ob peccata, *n.*

**Objic. 3°** Ex hac doctrina sequeretur multos homines ad beatitudinem

non ordinari; — *prob.* Qui moriuntur antequam species acquisiverunt per evolutionem sufficientem facultatum et usum rationis, nequeunt Dei cognitionem acquirere; *e.* — R. 1) *n. supp.* (non posse a Deo species suppleri, aliis infusis); — R. 2) *n. supp.* (requiri multum temporis, vel magnam evolutionem facultatum inferiorum, vel usum expeditum atque exterius apparentem rationis, ad acquirendas primas abstractissimas species; intellectui agenti enim sufficit vel imperfectissimum phantasma).

### Propositio 11.

**Finis hominis respectu praesentis vitae supremus, in recta actionum dispositione ad finem ultimum in vita futura consequendum consistit.**

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur in quo pro hac vita consistat supremum bonum, quatenus haec vita usque ad mortem tota spectatur.

2) Dicunt alii: in amore et cognitione Dei (Suarez), — in sapientia summa, cum bonis aliis externis sufficientibus (Aristot.), — in vita conformi naturae (Stoici).

3) Dicimus: in recta... ad finem... dispositione, generatim et indeterminate, quasi dicatur: in ordinis moralis prosecutione, abstrahendo interim quo modo et quibus conditionibus determinanda.

**Prob. 1°** Finis hujus vitae proprius se habet ad finem ultimum hominis ut finis intermedius; *a.* omnis finis intermedius suam rationem finis participat a fine ultimo; *e.*

*Prob. maj.* Praesens vita cum vita futura in ordine humanae tendentiae aliquid unum efficit; secus enim nec ipsa natura humana esset una.

**Prob. 2°** Finis hujus vitae particularis consistit in bono hujus vitae summo; *a.* in hac vita hominis bonum majus non datur quam recta ordinatio omnium actionum ad perfectam beatitudinem; *e.*

*Prob. min.* Omnia hujus vitae bona respectu finis ultimi sunt bona utilia, et quidem eo potiora quo magis ut media conducunt ad finem ultimum; *e.*

**Prob. 3°** Finis non solum hominis sed omnium creaturarum extrinsecus absolute ultimus, est gloria Dei formalis externa; — *a.* a) hunc finem reliquae creaturae non immediate sed solum mediante homine attingere possunt, — b) neque eum homo creaturis utens prosequi potest nisi recte omnes suas actiones ordinando ad finem suum ultimum, — c) qui tamen finis ultimus hominis non in hac vita sed in futura potest attingi; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo finis hujus vitae non ut objectum aliquod seu bonum particulare concipiendus est, sed ut quaedam bonorum convenientium summa, quae singula rite ad finem ultimum subordinentur.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo magis homo etiam in hac vita suam beatitudinem consequitur, quo melius ordinem naturae rectum (moralem) servare satagit.

**Objic. 1°** Summum bonum hujus vitae est in cognitione et amore Dei perfectissimis quae in hac vita haberi possint; — nam 1) haec sunt nobilis-

simarum facultatum, — 2) perficiunt maxime hominem secundum facultates superiores, — 3) maxime participant beatitudinem alterius vitae. — R. *d. assert.* summum bonum, i. e. actus conferens maximam delectationem, *c;* quod maxime convenit in hac vita, *sd.* est pars illius boni, *c;* est totum illud, *n.*

**Objic. 2°** Ordo moralis est bonum rationis tantum; *e.* non beat hominem qui constat etiam sensu, et ad sensibilia tendit. — R. *c. totum* (et hoc probat non dari hic perfectam beatitudinem; — dein dantur aliqua bona sensibilia quae ordini morali non obstant).

### QUAESTIO 3.

#### De principio actuum humanorum.

Principium actuum humanorum, ut humanorum, est voluntas libera, sive ipsa eliciens actum, sive aliarum facultatum imperans actum. Hinc etiam principia indirecta actuum humanorum ea omnia sunt quae quocumque modo in voluntatem et libertatem influere possunt, v. c. cognitio, ignorantia, passiones, habitus. De his igitur, praeter illa quae in psychologia jam explicata et nunc omnino recolenda sunt, pauca jam addenda occurrunt; sit autem:

Articulus 1. De volito in alio.

Articulus 2. De volito ex ignorantia.

### ARTICULUS 1.

#### De volito in alio.

### Propositio 12.

**Quod cognoscitur esse per se connexum cum re efficaciter volita, est et ipsum semper volitum in illa re.**

**Stat. quaest.** 1) Notum est, praeter *volitum in se*, i. e. objectum ad quod immediate tendit voluntas sive ut ad medium sive ut ad finem, dari etiam *volitum in alio*, i. e. objectum indirectum voluntatis, ad quod ista non tendit nisi quatenus connexum est cum alio objecto (directo) voluntatis, volito in se. — Quaeritur quatenam sint conditiones requisitae ad voluntarietatem in alio.

2) Clarum est requiri aliquam connexionem *objectivam* inter volitum in se et volitum in alio; nam secus non posset appetitus unius includere appetitum alterius.

3) Clarum est etiam requiri ut connexio illa aequaliter ab intellectu advertatur, nam secus objectum nullo modo voluntati proponeretur, neque jam esset ejus objectum.

4) Et quaeritur qualis connexio illa esse debeat: quaelibet, an aliqua determinata. Ad quod respondent duae nunc propositiones.

**Notiones.** 1) *Connexio per se* inter objecta viget quando unius existentia natura sua infert existentiam alterius.

2) *Volitio efficax* ea est quae ex parte voluntatis omnia habet requisita ut effectus sequatur, ita ut si effectus non sequatur, hoc fiat tantum ex defectu conditionum extrinsecarum voluntati.

3) Dicimus ergo, voluntatem, quoties rem appetit actu sufficiente, quantum ex ipsa, ad procurationem intentae rei, toties etiam efficaciter velle quidquid cognoscitur cum illo objecto esse per se connexum.

**Prob.** Volitio efficax continet volitionem omnium eorum sine quibus res volita existere naturaliter non posse cognoscitur; *a.* nullum objectum potest naturaliter existere quin etiam cum eo existant omnia cum eo per se connexa; *e.*

**Prob. maj.** Ea sola est volitio efficax quae, quantum ex se, sufficit ut objectum existere incipiat; *a.* volitio ad ea omnia non se extendens, sine quibus objectum existere non posse cognoscitur, non sufficit ut objectum illud existere incipiat; *e.*

**Coroll.** Ergo *voluntarium in causa* proprie dicitur objectum per se connexum cum re aliqua (quae dicitur causa hujus objecti), quam efficax volitio realiter producit ex intentione; — minus proprie dicitur objectum per se connexum cum re aliqua, quam efficax volitio intendens, non tamen producit ob defectum adjunctorum (quae volitio dicitur desiderium efficax; connexum objectum dicitur voluntarium in causa volita non producta).

### Propositio 13.

Quod cognoscitur esse tantum per accidens connexum cum re in se efficaciter volita, nunquam est in illa voluntarium, sed ejus activa permissio semper voluntaria est in illa re.

**Notiones.** 1) *Per accidens connexa* ea sunt quorum unum potest alterum producere, licet etiam existere naturaliter possit sine altero; scilicet existentia alterius non ex natura prioris fluit, sed ex concursu adjunctorum quae vel forte adsunt, vel etiam communiter adesse solent.

2) *Active permittit* effectum voluntas quae actu suo causam illius effectus (per accidens cum eo connexam) constituit talem ut, accedentibus adjunctis sufficientibus, effectum illum producat.

3) *Passive permittit* effectum voluntas quae nihil facit, quod facere posset, quo causa impediatur ne effectum suum producat.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non voluntarium*). Volitio efficax, qua talis, alicujus rei, non terminatur nisi ad ea sine quibus nequit res illa naturaliter existere; *a.* quae per accidens tantum cum ea re connectuntur, talia sunt ut sine iis ea res possit existere; *e.* efficax hujus rei volitio non continet eorum volitionem.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*permissio voluntaria*). Talis permissio est per se connexa cum volitione illius rei, sive causae; *e.*

**Prob. ant.** Impossibile est causam hanc naturaliter existere, quin eo ipso

sit de se talis ut, accedentibus vel jam aliunde datis adjunctis sufficientibus ad existentiam effectuum per accidens connexorum, effectus illi reapse producantur; *a.* talem causam velle est ipso facto permissionem velle effectuum; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo sententia asserens, illud quod per accidens connectitur cum re in se volita, esse et ipsum voluntarium quoties habetur praeceptum prohibens hanc rem: *a)* est falsa prout enunciatur; — *b)* male exprimitur si sensus est: illud esse imputabile perinde ac si esset voluntarium, nam ejusdem speciei quidem est, sed minoris gradus, malum prohibitum permittere quam positive velle.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo si prohibetur ne active permittatur existentia alicujus effectus, peccat qui libere active permittit; at non semper prohibetur permissio (activa vel passiva) effectus cujus directa procuratio est prohibita.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Quod connectitur cum objecto volitionis inefficacis (desiderii inefficacis vel merae complacentiae) nunquam est voluntarium in alio propter illam volitionem.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Quum quis efficaciter vult rem aliquam et proinde omnia quae novit cum ea esse per se connexa, potest tamen erga unum ex his habere affectum oppositum, at illum certe inefficacem.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Quod connectitur per se cum objecto efficaciter desiderato, est et ipsum voluntarium in causa; nam efficaciter desideratur quod appetitur a voluntate actu per se sufficiente ad rem desideratam effective causandam, licet per accidens non possit causari. — Non tamen potest idem dici de objecto volito per actum merae complacentiae.

**Schol.** Praeter divisionem voluntarii in voluntarium in se et voluntarium in alio, aliae dantur passim divisiones:

1) *Voluntarium directum* seu *positivum* est quod a voluntate procedit per actum positivum; — *indirectum* seu *negativum* est quod... per actus omissionem.

2) *Voluntarium expressum*: quod immediate apertis signis manifestatur esse volitum; — *tacitum*: quod non signis positive ostensivis manifestatur, sed ex aliquo facto vel omissione arguitive ostenditur esse volitum; — *interpretativum*: quod licet non adfuit, ex aliquibus tamen signis concludi potest adfuturum fuisse, si quaedam adjuncta agenti cognita fuissent.

3) *Voluntarium simpliciter*: quod concrete sumptum, secundum complexum notarum, est volitum efficaciter; — *secundum quid*: quod abstracte sumptum, secundum essentielles notas tantum, est volitum, licet secundam totam entitatem concretam volitum non sit, vel imo rejectum.

### ARTICULUS 2.

#### De volito ex ignorantia.

**Notiones.** I. Notum est ex psychologia nullam actualem volitionem posse

ex ignorantia directe oriri; potest tamen indirecte et per accidens ex ignorantia oriri, scilicet si quid est volitum secundum aliquem respectum cognitum, quod si cognosceretur adaequate secundum alios suos respectus, foret simpliciter non volitum.

Potest ergo dividi sub hoc respectu ignorantia :

influens in actionem — — sine qua non fieret praesens actio :  
 { antecedens voluntatem : quae nullo modo ipsa fuit volita.  
 { consequens voluntatem : quae ipsa fuit volita,  
 { affectata — — — volita in se, ut quis licentius agere possit.  
 { crassa = supina : volita in alio, quae facile vitari poterat.  
 { negligens — — — permissa in alio, quae vitari poterat.  
 concomitans actionem = non influens in actionem, i. e. sine qua tamen fieret praesens actio.

*N. B.* Posset quidem eodem modo subdividi ignorantia concomitans atque influens, in antecedentem et consequentem; sed ad rem nostram nihil conferret talis distinctio.

II. Ignorantia omnis, sive influens sive concomitans, potest esse :

invincibilis — quae depelli non potest acquisitione cognitionis oppositae.  
 { physice — si media physica desunt, sive interna sive externa.  
 { moraliter — si media physica adsunt, sed  
 { vel non occurrit suspicio, cogitatio depellendae ignorantiae,  
 { vel non apparet obligatio eam depellendi,  
 { vel nimia est difficultas eam deponendi, ita ut eam depellere homines cura rationabili non possint.  
 vincibilis — quae depelli potest.  
 { physice — si adsunt media physica tum interna tum externa.  
 { moraliter — si desunt simul tres conditiones supra dictae.

*N. B.* Practico tamen usu recepto in morali, ignorantia physice vincibilis quae non simul esset moraliter vincibilis, dicitur ordinario *ignorantia invincibilis*, nempe moraliter.

## CAPUT II.

### DE ATTRIBUTIS MORALIBUS ACTUS HUMANI.

Triplex distingui potest actuum humanorum proprietas. Si enim actus in seipso spectatur, bonus vel malus esse potest quoad moralitatem : si vero relate ad subjectum agens consideratur, ipsi imputabilis vario gradu vel non imputabilis est; dein relate ad suos effectus morales, est meritorius vel demeritorius. Unde.

Quaestio 1. De moralitate actus humani.

Quaestio 2. De imputabilitate et correspondente responsabilitate.

Quaestio 3. De merito et demerito.

### QUAESTIO 1.

#### De moralitate actus humani

#### Propositio 14.

**Intrinsecum est discrimen inter actiones honestas et inhonestas.**

**Notiones.** 1) *Moralitas* generatim est ea actionum humanarum proprietas, qua bonae vel malae vel indifferentes sunt, prout humanae sunt. Consistit autem ea bonitas, malitia, vel indifferentia, in habitudine convenientiae, disconvenientiae, vel negatione habitudinis ad finem ultimum hominis.

2) Actus humanus considerari potest secundum solum objectum suum specificum, abstrahendo a concretis adjunctis, et sic moralitas ejus vocatur potius *honestas* vel *inhonestas*.

3) Si actus humanus consideratur concrete cum adjunctis et prout a libera deliberatione sub cognitione suae honestatis vel inhonestatis procedit, dicitur strictiori sensu *moralis*, seu *moraliter bonus* vel *malus*.

4) Hinc patet, per errorem intellectus fieri posse ut actio objective honesta fiat moraliter mala (seu ut dicitur saepe : formaliter inhonesta), vel ut actio objective inhonesta fiat moraliter bona (seu formaliter honesta).

**Stat. quaest.** 1) Intrinsicam et immutabilem honestatem vel inhonestatem actionibus humanis inesse, seu quod idem est, intrinsicum discrimen esse inter bonum et malum morale objectivum negant : a) qui ex humana institutione et legibus humanis omnem moralitatem derivant; — b) qui ex populorum opinione et consuetudine; — c) qui a Dei libera voluntate.

2) Intelligenda est praesens propositio de objectiva honestate et inhonestate.

**Prob. 1°** Actio est honesta vel inhonesta, seu bona vel mala homini ut homini, prout hominem ad finem ultimum ordinat vel ab eo avertit; *a.* dantur actiones humanae quae natura sua, ab intrinseco, hominem ordinant..., vel avertunt...; *e.* dantur actiones quae natura sua, ab intrinseco, sunt honestae vel inhonestae.

**Prob. maj.** Homini, vi naturae humanae est certus aliquis finis ultimus praestitutus, ac proinde totus homo bonus non est nisi in quantum ad finem illum tendit; *a.* ad hunc finem non nisi per actus suos humanos tendere potest; *e.* bonus vel malus homini ut homini, seu honestus vel inhonestus est actus, prout hominem...

**Prob. min.** Multae sunt actiones quae omnino necessariam habent relationem cum assecutione vel remotione finis ultimi; v. c. amor vel odium Dei...; *a.* haec necessaria relatio non ab extrinseco invenitur, sed ex analysi ipsius actus humani objective spectati, et comparati cum natura hominis, ejusque fine et facultatibus; *e.*

**Prob. 2°** Teste historia et psychologia, habetur persuasio invincibilis, universalis, constans, perpetua, actus aliquos esse essentialiter bonos, alios